

Ienitate contentus. Ideo ira Dei in ipsum familiāmque exarsit. Moto contra Philistæos bello, & ipse & filii tragica morte perierunt. Arca Domini intercepta ab hostibus non multò post cum gloria remissa fuit.

*Samuel* miseratus fortunam populi à Philistæis oppressi , primò revocavit eum ad pœnitentiam cultūsque publici emendationem. Inde sacrificiis & precibus opem Domini imploravit, impetravitque. Nam hostes fulmine ac fulgure magis, quàm armis humanis deleti sunt. Parta quiete Rempubl. laudabilem constituit : jus statis locis & temporibus dixit integerrimè, & consulentibus respondit. Sed cùm, ingravescente ætate , filios in partem munericis admisisset, iique venalem justitiam haberent, offensus populus *Regem* efflagitare cœpit, nec , ut desisteret postulato, moveri potuit : qua occasione ad statum regium de-  
ventum est.

Fuit status Aristocraticus sub judicibus : sequitur Monarchicus sub Regibus, quando populus Dei suæ gentis Regibus paruit.

Reges alii fuerunt Regni integri : alii in duo divisi.

Reges regni integri tres numerantur.

*Saul Rex* designatus est ex tribu Benjamin, modestus animi , formâque excellit. Initio Regni *Ammonitas* vicit superbè insul-  
tantibus

Anno  
M.

2814.  
2851.